Cyri Joannis Josephi: Quaestio ~~logica~~ Theologica de voluntario et involuntario atque circumstantiis actuum humanorum.

✠

JN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

DE

VOLUNTARIO & INVOLUNTARIO, Atq; Circumstantijs Actuum Humanorum,

QVAM,

Ex Prima Secundæ, Summæ Theologicæ, D. THOMÆ, Doctoris Angelici, à *Quæst:* 6. ad *Quæst:* 7. inclusivè

DEPROMPTAM;

ET PUBLICÆ DISPUTATIONI

EXPOSITAM:

PRÆSIDENTE

M. CHRISTOPHORO KRZYKAWSKI,

Philosophiæ Doctore, Collega Majore, S. Theologiæ Baccalaureo, Ecclesiarum Collegiatarum, Neosandecensis Cancellario, S. FLORIANI ad Crac: CANONICO, Cursûs Theologici Moralis, fundationis Oblonkovianæ, PROFESSORE.

SUSCEPIT

M. JOANNES JOSEPHUS CYRUS,

Jn Alma Vniversitate Crac: Philosophiæ Doctor & Professor, eiusdem Cursûs Auditor,

PROPVGNANDAM.

In Lectorio DD. Theologorum.

Anno Salutis 1701. Die 30. Ianuarij Horis Pomeridianis.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.



Armatus Mucrone Bison, Pastore tenente
Cælum, nunc Vigilis nobile præstat opus.
Ergo Craciadum, numerosus Grex sibi firmum
Credat præsidium, desuper esse datum.
Certè Lubieniæ Virtutis, maxima dos est,
Custodire Domos, Regnaq; celsa DEI.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO, D. CASIMIRO à LUBNA, ŁUBIENSKI,

SUFFRAGANEO NOMINATO, CANONICO, & SEDE VACANTE EPISCOPATUS CRAC:, ac DUCATUS SEVERIENSIS, GENERALI ADMINISTRATORI, Domino & Patrono Amplissimo.

PRæcelsam Nominis tui adoream, & immortalium in Vniversitatem nostram meritorum amplitudinem, debito cultu, & tesserâ gratitudinis venerari, nobis summè voluntarium est. *Illustrissime & Reverendissime Domine.* Quippe cùm propensa in Cracias Musas Voluntas tua, heroicos Virtutum, & gratiarum, Magnorum Aborigenum imitata actus, tot luculentissima favorum suorum reliquerit nobis documenta; certè id à nobis jure promeruit; vt promptitudinis nostræ, ac Studiorum censum, honori tuo dicaremus. Nec alibi tutiùs, Theologica Pallas, cum sua Thesi Patrocinium, & Asylum quærere potest; quàm inter victrices *Illustrissimæ* FAMILIÆ Tuæ Palmas, ac augusta Trophæa; quibus magni ŁUBIENSCII Heroës, Orbem Christianum implevêre. In hac Præcelsa PROSAPIA, quot Senatores excelsis è Curulibus, aurea consiliorum Oracula depromentes, quot Patres Patratos, sacrisq; Divorum Aris, propter stupendas virtutes, & ingentia merita, desuper admotos Antistites, sæcula numerârunt; tot Ioves Statores Boni publici, Ecclesiarum columina, omnium bonorum imitationi, ac admirationi, in Capitolio immortalis gloriæ visuntur; quibus tanquam Semideis, Caput hoc GENTILITII BISONTIS in victimam cessit, & perenne ornamentum. Nam quoad longissimè mens mea intueri potest, in Annalium monumentis, spatium

præteriti temporis, profectò omissis, ex industria propter imbecillitatem exilis ingenij mei, plusquam trecentis GENTIS TUÆ Fabijs; quorum gloriam, nulla rapiet dies, vel Ipsi, humana, animo heroico supergressi, MARCVS ŁVBIENSKI, Palatinus Brestensis, & HIEREMIAS ŁVBIENSKI, Polonæ libertatis, robore, & consilio magni Assertores, quantum pro amore Patriæ, publicæ æstimationis pondus assecuti fuerant, non tantùm os populi, sed vivæ vocis Oracula Serenissimorum olim, & Invictissimorum, SIGISMVNDI III. & VLADISLAI IV. declarârunt. Provehit niveis fama jugalibus per regna & Provincias, magnitudinem Operum, quæ gessit NICOLAVS ŁVBIENSKI, Palatinus Siradiensis: reponit in Archivo immortalitatis, amplissimas ingenij dotes, masculum, ad perferenda omnia pro integritate Reipub: pectus, & inæstimabilia refectefactorum Cimelia, ANDREÆ ŁVBIENSKI, Supremi Regni Thesaurarij, qui se nunquam opulentiorem fore edisseruit; nisi cum se, suaq; in publicum profunderet. Porrò cùm ceciderit desuper beatior sors supremi in Repub: nostra Honoris, in CELSISSIMVM, & REVERENDISSIMVM, MATHIAM ŁVBIENSKI, ARCHIEPISCOPVM GNESNENSEM, Regni Primatem, Primumq; Principem, Legatum Natum; nulla tam sublimis suada reperitur, tanta verborum copia, quæ culmen virtutum eius sublime, & fastigium meritorum attingere queat. Sub hoc ARCHIPRÆSVLE pientissimo, Orthodoxa refloruit, & in quasdam Poloniæ Provincias, quasi postlimino reducta est, suæq; restituta Majestati Religio. Hoc zelante Principe, quarta Erebi Furia, discordia Civium, extinctâ fatali rebuspub. tœdâ, ad barathrum profusa est. Huius Primatis invictam constantiam & sanctitudinem mentis, experta est infanda Hæreticorum colluvies; cuius Gorgoneum caput, GENTILITIO ACINACE, tam feliciter præcidit hic sanctior Perseus; vt ampliùs non excreverit, nec incautos infascinare ausum fuerit. Atq, vtinam altis infixa pectoribus, hodierni Ævi genius teneret ea, quæ erudito calamo, & fastis perennibus consignavit STANISLAVS ŁVBIENSKI, EPISCOPVS PŁOCENSIS, ABBAS TYNECENSIS: hic cum Germano suo, ALBERTO ŁVBIENSKI, PRÆPOSITO PVŁTOVIENSI, CANONICO GNESNENSI & CRACOVIENSI, cum Illo pertinaci honorum contemptore, in id omnem solicitudinem suam, quæ illis omnes noctes fecerat Cleantheas, congesserunt; vt Fides Catholica, integritas Reipublicæ, Legum observantia, Regum

Civi-

Civiumq; salus, Sarmatici gloria Nominis, intaminatis fulgerent honoribus. Verùm in tam Illustri Atavorum Avorumq; tuorum Corona, invicti animi fortitudine, Victriciumq; Laurearum Splendoribus, tanquam vnio pretiosissimus, omnium in se obtutus rapuit, ILLUSTRISSIMVS, SIGISMVNDVS ŁVBIENSKI, PALATINATVS SIRADIENSIS, VEXILLIFER MAIOR, PARENS Tuus Desideratissimus; qui cum Magno CZARNECIO, victoriarum Comes, inter fluctus, tempestatesq; sonoras, debacchantis Sudermanici Neptuni, periclitantem nostræ Reipublicæ navem, Patrijs Opibus, & nativis Stipendijs, Sanguine, & salute propriâ, efficaciter servare, & ad portum tranquillitatis reducere enixus est. Incredibilem hunc, erga Serenissimos Reges, vniversamq; Rempubl:, ingentibus illâ tempestate, calamitatũ fluctibus pressam, amorẽ, summis vtiq; destinaverat coronare honoribus, omnium gratiarum compendiũ, verusq; virtutum æstimator, IOANNES III; nisi supremus benemeritorum Coronator DEVS, præ matura in Cœlum evocatione, æternis præmijs, Herculeos ipsius labores coronâsset. Quòdsi PARENTVM virtutes, in Prolem, inclytâ excellentis naturæ communicatione derivari solenne sit, quis inficiabitur? Te non vitam tantùm, sed pietatẽ quoq; probatosq; mores cum lacte suxisse, ex *Illustrissima* CÆCILIA, *Illustrißimi olim* OPACKI, PALATINI DERPATENSIS, *Lectißima* FILIA, Matronaliumq; decorum splendoribus, eximias retroacti ævi Heroides adæquante. Tantarum virtutũ, & præcelsi sanguinis, ex asse Hæres; quomodo Principibus complacueris in hoc Regno Viris? ille Sarmaticus Nestor, ingeniorumq; Argus, quem Reges quoq; suum Catonem venerabantur, ANDREAS OLSZOWSKI, ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS, Primas Regni, Primusq; Princeps, candidum adiecit calculum; qui Te ad summa quæq; genitum enuntians, TRZEBICIO Olori planè invisceravit; vt Tibi novi Canonicalis in Vavelo Honoris auspex fieret. Verùm & ipse hic Præsulum Ocellus, Senatorum aureus Tripos, collectas à Te in fastigio Orbis terrarum, in Vrbe, Orbis Principe, non vulgaris sapientiæ opes, probatam publicis disceptationibus, ex sacra profanaq; scientia, ingenij felicitatem, Medullam Politioris Atticismi, Encyclopædiam omnigenæ eruditionis, acutiùs Epidaurio serpente suspexit. Et ne tantus virtutum, ac literarum splendor sub modio hæreret, eum in Vavellanis Aris, vt abundantiùs, inter fulgentissimas luceret Coronas, collocavit. Atq; vixisset vtinam CELSISSIMVS PRINCEPS, ILLV-

STRISSIMVS olim, & REVERENDISSIMVS DOMINVS, STANSLAVS IN LVBRANIEC DAMBSKI, EPISCOPVS Cracoviensis, DVX Severiæ, ALMÆ VNIVERSITATIS Crac: CANCELLARIVS Faventissimus, Præsulum Gemma, Senatorum Apex, Patriæ Amor, SERENISSIMI & INVICTISSIMI AVGVSTI II. REGIS Poloniarum, hodie nobis feliciter imperantis, Poloniæq; fines Victoriosis prælijs, & incredibili zelo ampliantis, alter quondam Ephestio, breve (eheu) Diœcesis nostræ delicium; qui Te ILLVSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE, animorum Triumphatorem, sub GENTILITIA SVA ARBORE, in Capitolium novi Honoris, nimirum Officialatûs Generalis, & Suffraganeatûs Crac: deduxerat. Prodieras iam post OBORSCIANA LILIA, & SZEMBECIANAS ROSAS, Flos Prælatorum, gloriâ meritorum fulgidus, odore præcelsi Nominis omnibus acceptabilis, vota totius Diœcesis implens, & coronans, onera publicæ solicitudinis, mutuis subsidijs, cum suo Athlante Alcides gloriosissimè supportans; monstrâsti, quãtùm Tibi inest roboris, quantùm concessum desuper gratiæ, ad publica munia sustentanda. Verùm redeunte in Empyreum hac priore Intelligentiâ, Tuæ Activitati committi debuit, vnanimi Voto, totius PERAVGVSTI CAPITVLI Crac:, Cœlũ hoc inferius Amplissimæ Diœcesis: Vidit nempe, & mille experimentis probavit, maximam Animi Tui prudentiam, Præcelsus hic Patrum Con-Scriptorum Senatus, ideo in hac Orbitate Pastoris, Tibi vices commisit, Regiminis Supremi; Vt Orbis hic sacer, sub tanto Motore Angelo, CASIMIRO, casus miros, quibus sæpè, propter vrgentia Fata, humana voluuntur, evitaret. Quare ad sacrum Prudentiæ tuæ Tribunal, etiam hanc Thesim de Voluntario & Involuntario examinandam, sereno suscipe animo; & omnium nostrum voluntates, Tibi prosperrimos successus, vitam longævam, supremos in Ecclesia DEI Honores, comprecantes, almo gratiæ Tuæ sinu complectere, meq; clientem tuum, benevolo protectionis tuæ favore, prosequi non dedigneris. qui sum

JLLUSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ,

Humillimis obsequijs devinctissimus,

M. IOANNES IOSEPHVS CYRVS, Philosophiæ Doctor, & Professor.

QVÆSTIO THEOLOGICA,
DE VOLUNTARIO, & INVOLUNTARIO, atq; Circumſtantijs Actuum Humanorum.

U. Voluntarium & Involuntarium, quæ ſunt Principia Intrinſeca Actuum Humanorum: & quidem Voluntarium, quod in Actibus Humanis Perfectum invenitur: nec Directum poteſt eſſe abſq; omni Actu: Involuntarium autem ſeu Violentia, quæ etiam datur in Actibus Humanis: quam etſi Ignorãtia Antecedens cauſet ſimpliciter: non tamen poteſt inferri Voluntati quoad Actus Elicitos: hinc ſicut Metus: ita Concupiſcentia: non cauſant Involuntarium ſeu Violentiam Simpliciter: requirant Circumſtantias, ad Bonitatem, & Malitiam Actuum Humanorum, dignoſcendam. nec ne?

CONCLUSIO I.

VOluntarium & Involũtarium, ſunt Principia Intrinſeca Actuum Humanorum.

COROLLARIA.

I. *Voluntarium Ariſtoteles* Lib: 3. Ethic: Cap: 1. definit ſic: *Voluntarium eſt, cuius Principium eſt in ipſo agente, ſciente ſingula, in quibus eſt ipſe Actus. Doctor verò Angelicus hîc* Qu. 6. Art. 1. *definit Voluntarium ſic: Voluntarium eſt, quod procedit à principio intrinſeco, cum cognitione finis & Circumſtantiarum.*

II. *Voluntarium multifariam à Doctoribus dividitur: Primò dividitur, in Voluntarium Imperfectum, & Perfectum. Imperfectum eſt, quod regulatur Cognitione ſenſitivâ imperfectâ; vel etiam Intellectivâ, etiam imperfectâ; quoties in Obiecto, non plenè diſcernit rationem boni, vel mali, proinde, non ſolùm reperitur in appetitu ſenſitivo; ſed etiam in Rationali quod eſt voluntas.*

Et sub hac divisione Voluntarij, continentur Actus appetitivi brutorum, puerorum, amentium, omnesq; alij, qui plenam deliberationem rationis preveniunt: dicunturq; Motus primò primi, vel secundò primi. Nam cùm Voluntarium, mensuretur Cognitione, & isti Actus enumerati, sequantur cognitionem imperfectam, vel sensûs, vel intellectûs non plenè deliberantis, inde est, quòd nullus illorum, possit esse voluntarius perfectè. Voluntarium Perfectum est, quod regulatur cognitione perfectâ, vt est Intellectiva, dijudicante plenè rationes prædictas. Secundò, Dividitur in Voluntarium Actu; & Virtute. Voluntarium Actu est, quod expressè procedit à Voluntate, Voluntarium Virtute est, quod non est retractatum, sic qui eundo ad Chorum vult dicere Horas competenter, & deinde contra suam voluntatem distrahitur, dicitur velle orare virtualiter. Si autem vna res est connexa cum alia, v.g. Sacri Ordines cum Castitate; rem connexam cum alia, dicitur velle Interpretatiuè. Sic qui vult Ordines sacros, licèt non exprimat, vult Castitatem Interpretatiuè, quia licet interpretari; quòd tendendo in vnum, tendat in alterum connexum. 3tiò. in Liberum & Necessarium. Primum, procedit à voluntate, cum indeterminatione ad vtrumlibet. Secundum, quod procedit à voluntate cum determinatione ad vnum. Hoc secundum reperitur in Beatis; Beati enim, necessario volunt diligere Deum. 4tò. diuiditur in Voluntarium, ex Propria & ex Aliena Voluntate. Primum est quod procedit à voluntate operantis: 2dum est, quod quidem Physicè procedit à voluntate alterius, quæ tamen reputatur tanquam propria; ad hoc secundum pertinet peccatum Originale. 5tò. in Voluntarium in se ipso & in Alio. Primum est, secundùm se volitum: Secundum quod licèt secundùm se, non sit volitum, est tamen volitum in alio, in quo cognoscitur vel cognosci poterat, & taliter peccata in ebrietate prauisa, sunt voluntaria.

III. *Homo sicut in statu Innocentiæ fuit liber, libertate Indifferentiæ; ita in statu Naturæ lapsæ.*

IV. *Vt Actus nostri, sint boni vel mali Moraliter, non sufficit Spontaneitas, sed requiritur libertas Indifferentiæ; quæ Indifferentia contradictionis ad agendũ, vel non agendũ, est de Essentia libertatis.*

V. *Indifferentia ad bonum vel malum, atq; potentia peccandi, non pertinent ad Essentiam Libertatis, sed solùm ad statum Accidentalem.*

lem, quem habet in nobis Viatoribus, nondùm clarè videntibus, Divinam Essentiam.

CONCLUSIO II.

VOluntarium Perfectum in Actibus Humanis invenitur.

COROLLARIA.

I. *Etiam in Actibus Divinis, & Angelorum, est Voluntarium Perfectum.*

II. *In brutis animalibus, licèt quoq; inueniatur Voluntarium, est tamen Imperfectum.*

III. *Voluntarium Uniuocè prædicatur de homine & bruto, bruta enim conueniunt Vniuocè, & Genericè nobiscum, in Gradu, & ratione Cognoscitiui: sentire enim cognoscere est.*

IV. *Spontaneum, Voluntarium, & Liberum differunt inter se; & licèt omne Liberum sit Voluntarium, non tamen omne Voluntarium, potest dici Liberum.*

V. *Actus Necessarij, ex perfectione Cognitionis, sunt magis Voluntarij, quàm liberi.*

CONCLUSIO III.

VOluntarium Directum, non potest esse, absq; omni actu.

COROLLARIA.

I. *Voluntarium Indirectum, potest esse aliquando absq; actu Exteriori, cum actu Interiori, aliquando sine Actu Interiori.*

II. *Voluntarium Indirectum, absolutè loquendo, seu Omissio purè libera, non potest esse, absq; vllo Actu formali, & explicito, vel Antecedente, vel Consequente, per Accidens, qui sit Causa, vel occasio omittendi.*

III. *Ut Omissio, & actus ex illa sequens, sint voluntaria, requiritur Debitum, seu Obligatio ponendi actum, qui omittitur.*

IV. *Quando, est Debitum, seu Obligatio solius decentiæ, quæ neq; ad culpam, neq; ad pænam obligat, vt est Debitum amicitiæ, gratitudinis, Vrbanitatis, tunc Omissio non est Voluntaria.*

V. *Omnis Omissio Voluntaria, est peccaminosa.*

CONCLUSIO IV.

INvoluntarium, seu Violentia etiam datur, in Actibus Humanis.

COROLLARIA.

I. *Inuoluntarij Causæ sunt quatuor, scilicet: Violentia, Metus, Concupiscentia, seu Passio vehemens, & Ignorantia.*

II. *Violentum definit Aristoteles* 3tio Ethic: Cap. 1 *sic: Violentum est, cuius principium est foris, quod prouenit à principio extrinseco, passo non conferente vim.*

III. *In Definitione data* Ly, *non conferente vim, non solùm intelligendum est Negatiuè, sed etiam Positiuè.*

IV. *A ratione Violenti, excluditur lux recepta in aëre, Gratia Sanctificans in anima, formæ artificiales, & alia huiusmodi, quæ licèt proueniant ab extrinseco, non tamen sunt violenta Subiectis.*

V. *Hæc quatuor Nomina: Necessarium, Violentum, Coâctum, & Involuntarium; licet aliquando confundantur; differunt tamen inter se, per diuersas formalitates.*

CONCLUSIO V.

IGnorantia Antecedens, causat Involuntarium Simpliciter.

COROLLARIA.

I. *Ignorantia Antecedens excusat à peccato.*

II. *Ut Contractus, Vota, & Similia sint valida, quæ fiunt ex Ignorantia Antecedente; in illis sunt duo attendenda, Scilicet, Substantia rei, & Accidens.*

III. *Ignorantia Consequens, causat voluntarium simpliciter, & Inuoluntarium secundùm quid.*

IV. *Ignorantia Concomitans, neq; causat Voluntarium; neq; Involuntarium, sed non voluntarium.*

V. *Ignorántia consequens, non excusat à peccato, Concomitans vero nec excusat, nec accusat de se.*

CONCLVSIO VI.

VIolentia, non poteſt inferri Voluntati, quoad Actus Elicitos.

CORLLARIA.

I. *Voluntati potest inferri violentia, quoad Actus Imperatos*

II. *Non solùm Voluntati, quoad Actus Imperatos, infertur Violentia, sed etiam ipsis Potentijs, à quibus eliciuntur.*

III. *Non solùm voluntas: sed nec vlla Creatura, potest violentiam pati à Deo.* VI. Si-

IV. Si DEVS *voluntatem ad operandum propensam, per subtractionem sui concursûs, vel Obiecti impediret, ne in Actum prorumperet, vel operationē jam inceptam continuaret; non inferret illi violentiã; sed voluntas, tunc connaturaliter quiesceret, & ab operatione cessaret.*

V. Violentia causat Inuoluntarium simpliciter.

CONCLUSIO VII.

Metus, non causat Involuntarium simpliciter.

COROLLARIA.

I. Quæ per metũ aguntur, mixta sunt, ex Volũtario & Involuntario.

II. Quæ ex metu fiunt, sunt Voluntaria simpliciter, & Involuntaria tantùm secundùm quid.

III. In his quæ ex metu fiunt, est sufficiens voluntarium, ad peccatum mortale.

IV. Ut ea, quæ ex metu fiunt, sint Demeritoria; duæ sunt Regulæ obseruandæ. 1ma. Ut ea, quæ fiunt contra Negatiua Præcepta, ex metu, cadente in Virum constantem, semper sint peccata Mortalia: ut sunt Homicidium, Adulterium quocunq; metu fiant, sive leui, sive graui, cum periculo mortis, semper sunt peccata. 2da. Quæ fiunt contra Præcepta Divina Positiva, ex metu cadente in virum constantem, videlicet ob periculum mortis, licet sint voluntaria, non tamen incurrunt peccatum, ut si quis die Dominico laboret; ut in extrema Necessitate, vitam sustentet, non est transgressor Legis: quia non est credibile, quòd DEVS, *in omni casu, etiam cum amißione vitæ, velit obligare homines, ad obseruationem legum: In duobus tamen casibus, non licet, propter vitæ conseruationem, Ius Divinum Positivum transgredi. 1mus, Si ex omißione Iuris Divini Positiui, sequeretur abnegatio Fidei, & scandalum pusillorum, & sic Machabæi, pluris fecerunt porcinas carnes non manducare, quàm mortem, ea de causa quòd timuerunt, ne illorum exemplo, alij inducerentur, ad abnegationem legis Mosaicæ. Casus 2dus, Quando præceptum Iuris Divini Positiui, est necessarium, necessitate Medij ad salutem. ut Baptismus, Pænitentia, sunt necessaria ad salutē: similiter Fides; unde instante periculo mortis, hæc, cùm possumus, re suscipienda sunt, aut cùm non possumus, in voto; cùm Ministri non est copia.*

V. Contractus ex metu facti, Iure naturali, sunt validi, quamvis Iure Positiuo aliqui irritentur, quando Metus est gravis, & iniuriosus, seu cadens in Virum constantem, ut loquuntur Theologi.

CONCLUSIO VIII.

Concupiscentia, non causat Involuntariū Simpliciter.

COROLLARIA.

I. Concupiscentia etiam secundùm quid, non causat Involuntarium.

II. Concupiscentia interdū per Accidens, aliquid Inuoluntarij admittit.

III. Concupiscentia Consequens, non solùm causat voluntarium, sed etiam auget.

IV. Concupiscentia Antecedens & improvisa, non tollit quidem Perfectum Voluntarium, sed minuit.

V. Peccata ex Concupiscentia violenta Commissa, sunt minora, quàm ex malitia commissa.

CONCLUSIO IX.

Voluntarium & Involuntarium; quæ sunt Principia Intrinseca Actuum Humanorum, requirunt Circumstantias, ad Bonitatem & Malitiam, Actuum Humanorum, dignoscendam.

COROLLARIA.

I. Circumstantiæ sunt quædam Accidentia, Actuum Humanorum.

II. Illa solùm Circumstantiæ, sunt Accidentia Actuum Humanorum, quæ intra eandem Speciem, variant Qualitatem Actionis, quæ autem Circumstantiæ mutant Speciem, iam transeunt in rationem Obiecti, à quo illa Actio speciem sumit.

III. Circumstantiæ, interdum mutant Speciem Bonitatis vel Malitiæ Moralis, aliquando eam, non mutant; sed tantùm augent, intra eandem Speciem.

IV. Nulla est Circumstantia Moralis, quæ vt talis, non addat aliquid Bonitatis aut Malitiæ, Actui Humano; adeò: vt si alicubi Circumstantiæ, nihil addant Bonitatis aut Malitiæ Moralis, signum est, eas non esse Circumstantias Morales, sed Physica Accidentia, respectu Actûs, cui nihil addunt Moralitatis.

V. Circumstantiæ Actuum Humanorum, sunt Septem, hoc versu contentæ. Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando. Quarum Principalissima Circumstantia est, Propter quid, seu Finis. Et quia

Omne bonum nostrum, dans Circumstantia Finis.
Est DEVS, ergò Actûs, Finis &, ipse, DEUS.
Cuî Laus, & Virtus, maneant & gloria, semper.
Libertasq; hominis, prædicet, ipsa DEUM.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIJS,
Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. M. MATHIÆ PSOIECKI,

S. Th. & V. J. Doctoris, & Professoris, Protonotarij Apostolici, Collegij Maioris, SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum, Cathedralis Crac: CANONICI, Collegiatarum, SS. Omnium PRÆPOSITI, Opatoviensis DECANI, SCHOLASTICI Curzeloviensis, CANCELLARIJ Posnaniensis, CURATI in Osiek, Contubernij Jagelloniani PROVISORIS, S. R. M. SECRETARIJ,

Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis, GENERALIS, ac VIGILANTISSIMI

RECTORIS.

~~Cypri Joannis Josephi~~

~~Quaestio theologica de voluntario et involuntario, atque circumstantiis actuum humanorum.~~